



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Constans Defensio, Ex S. Scriptvra, Et Vera Catholica
Doctrina, Atqve Observatione Vniuersalis Christianæ
Ecclesiæ Deliberationis de Christiana Reformatione**

Bucer, Martin

Genevae, 1613

De Procuracione Scholarum 129

urn:nbn:de:hbz:466:1-34315

De Scholarum Procuracione.

CAP. CX'XIX.



Eptimò reprehendunt id, quod Liber Reformationis vult, vt Collegia necessarias Scholas, apud incorporatas sibi Parochiales Ecclesias erigant, ac stipēdiis sustentent. Et si illis hoc onerosum sit, vt aliquot vicarias, si vacent, in eum vsum conuertant.

Scribunt, hoc partim graue esse, partim illicitum. Graue quidem, quod nunquam auditum sit, vnumquemque Pastorem suis impensis debere in Parochia sua erigere Scholam. Illicitum autem, propter extinctionem vicariæ. At quæ, malum, ista calumniandi insatiabilis cupiditas? Non dicit Liber, vnumquemque Pastorem debere suis sumptibus scholam erigere, sed, Collegia debere prouidere, ne incorporatis sibi Parochiis, quarum decimis aliisque bonis fruuntur, desint idonei Pastores & ministri: vt que apud eas necessariæ scholæ instituantur & sustententur. Quam tamen ordinationem mitigat, cum dicit, quòd si grauari se plusculum Collegia arbitrentur, possint ad istum vsum Ecclesiis in primis necessarium aliquot vicarias, si vacent, conuertere.

Sed nec dicit, In singulis pagis, sed, Necessarias scholas. Quamuis si verè Christianus zelus, ad regnum Christi propagandum in nobis esset, sanè non tam alienum à nobis videretur, etiam in singulis pagis, Christianas scholas instituere. Annon indignum est, miseros obscurosque Iudæos in scholis pro liberis suis sustentandis, cisque ab ineunte ætate in S. scriptura erudiendis, diligentiores esse, quàm sint qui hodierna die spirituales Canonici, summique Prælati nuncupantur? Vbi enim vel quatuor tantum familiæ Iudæorum sunt, ibi peculiarem pro liberis suis Pædagogum alunt. Neque idcirco necessarium esset in vnoquoque pago publicam Academiam instituere: sed facillè prouideri posset, vt bonorum istorum hominum filij, qui tamen nos omnes laboribus suis alunt, apud singulas Parochias eousque erudirentur, vt sacra Biblia, & alios vtilis libros in vernacula lingua legere & intelligere possent. Postulat Vasense Concilium cap. 1. vt Pastores in parochiis apud se iuniores Lectores alant, & instituant. Quare autem eiusmodi Lectores & æditui, non etiam ad alios pueros erudiendos adhiberentur? Multæ sunt hoc tempore Ecclesie, quas Aduersarij Schismaticas calumniantur, quarum Pastores in pagis ipsi scholis præsumt, suorumque Parochialium liberos docent, qui cum æstiuo tempore non omnes per labores & occupationes ad scholam venire possint, brumali tempore tanto maiorem diligentiam in eis erudiendis adhibent. Et quare bonis istis hominibus spirituale non copiosè feratur, quorum temporalia tam abundè metuntur?

At inquirunt, sicubi necessariæ sunt Scholæ, erigi debent sine damno

Ec 2

aliarum Ecclesiarum, ab iis quibus hoc incumbit. Hoc iudicium bene se haberet, modò in eo Ecclesiæ relinquerentur. Restituant Aduersarij Parochiis, quod ab illis per incorporationem suam, ab omnibus Canonibus prohibitam, contra ius & fas eripuerunt: & facillè tantum inueniatur, quantum ad Scholas in singulis Parochiis erigendas & sustentandas necesse erit, sine vllò aliarum Ecclesiarum grauamine ac detrimento.

Iam Parochiis bona sua erepta sunt, & non solum ad frustraneum, verumeriam ad scandalosum cantum conuersa: cùmque ab ipsis petitur, vt eas pro illis iuuent, quo necessaria sua ministeria habere possint, scribunt, id partim graue esse, partim illicitum. Idque rursus suis elegantibus dictis confirmant, Non esse discooperiendum vnum altare, vt aliud operiatur, vicarios suas habere institutiones, deberèque in Ecclesiis ad quas ordinati sunt, canonicis & clericis primariis in ministerio diuino opem ferre, ac vices eorum cantando, legendo, & similibus officiis supplere. Quid? Opem ferre? Quantos, si Diis placet, labores Canonici & primarij Clerici sustinent? Profectò nisi opimæ præbendæ eos ad id impellant, non nimium laboris sibi imponunt, quod vero facturi non essent, si tantum suum, suasque lectiones pro cultu diuino haberèt. Neque etiã debebant vicarios, qui vices suas supplerent, petere: si enim habere volunt, qui ipsorum loco ministerio fungantur, sanè etiam habere debèt, qui pro eis mercedem ac stipendium accipiant. Nonerunt ipsi Aduersarij, vicarias nouum esse inuentum, & omninò ex abusu exortum. Quòdnam Concilium ordinauit hoc genus hominum? Qui Sancti Patrum meminerunt talium vicariarum? Quæ item traditiones & ordinationes Catholicæ Ecclesiæ?

Porro omnis istorum Canonorum cantatio & lectio, vt sæpè hactenus probatum est, huiuscemodi est, vt non modo nullo auxilio & adiumento indigeat, sed ne quidem in Ecclesia Iesu Christi tolerari debeat, præsertim eo modo, quo ipsi abutuntur. Quamobrem non erit necessarium, vt vllum altare Christi discooperiatur, etiamsi nonnihil de iis, quæ in eiusmodi vicariis contra præceptum Dei impenduntur, ad tam salutare, tamque necessarium Christianarum Ecclesiarum ministerium rursus conuertatur, rectèque ac piè vsurpetur. Certè eorum Pontifices non admodum iniquum esse iudicarunt, Canonicas præbendas in Scholas conuertere & impendere, vt legitur de Magistris & plerumque in omnibus Academiis adhuc obseruatur.

Ante hoc Schisma religionis, aiunt, erat inuenire apud Collegia Scholas decem, vbi nunc vix vna conspicitur: nec audiebatur tunc de alimèntis & Scholarium educatione querela.

Quamobrem id verò? Cùm magna pars diuinum, & plerique omnes honestum & vtile iudicarent, Præbendas in Collegiis ac Monasteriis (quæ quotidie augebantur) adipisci, multi libenter Scholis inseruierunt, idque pro exigua mercede, spe talium Præbendarum acquirendarum adducti. Et quoniam plebei quoque liberos suos hac spe impulsos libenter ad scholas mittebant, fiebat vt Ludimagistri quoque tanto facilius se sustentare,

sustentare, diutiùsque suam præbendam prædam expectare possent. Quantumuis verò plurimæ hoc pacto scholæ exortæ sint, constat tamē, quàm egregia, si Diis placet, doctrina in illis vigerit. Miseri enim adolentes magis in non intellectis Cantionibus Ecclesiasticis, ad oblationes Parochiis augendas, inaniter fatigati sunt, quàm solida doctrina imbuti.

Iam quoniam aduersarij, eorūque Sectatores, nemini præbendas conferūt, nisi ad ea se voto adstringat, quæ nunc (gratia Domino) impia, & cū voluntate Dei pugnantia agnoscuntur, neque liberum iudicium, aut sanas doctrinas in Scholis suis tolerant, aufugiunt ab eorum Scholis tam Ludimagistri, quàm Scholastici, qui magis pia, honesta, & liberalia ingenia habent. Vbi vero Dominus dat, vt saltem tolerabilia pro idoneorū Ludimagistrorum sustentatione stipendia haberi possint, ac comoda docendi ratio instituitur, ibi etiamnum decem Scholas inuenire est, vbi antea ne vna quidem erat: vel decuplo maiorem Scholasticorum numerum in vna Schola, quam antea fuerit. Id quod in multis ciuitatibus & pagis demonstrari potest. Quapropter cū omne Scholarum decrementum apud aduersarios, eorūque Sectatores reperiatur: Contra, omne earundem incrementum apud eos, quibus se in religionis causa opponunt, debebant causas, propter quas Scholæ apud eos decrescunt, inuestigare, inuentas verò è medio tollere, & amouere. Quæ causæ reuera nullæ alię sunt, quam quod veræ ac salutari doctrinæ non dant locum, deinde non solum in scholas tam parum impendunt, verumetiam antiquas fundationes ac dona illis subtrahunt, denique homines ad impiam tum vitam, tum ministeria obstringunt.

De Ministerio octo Præbendarum Sacerdotalium.

CAP. CXXX.



TA VÒ, tradit Liber, ministerium octo Præbendarum in Sacerdotalium ita institui posse, vt duo religione & doctrinâ præsentis viri constituerentur, qui in primo & summo Collegio Sacris Concionibus plebi quotidie exhibendis vacarent, & Choro non alligarentur: duo qui Officium Sacræ Missæ in diebus Dominicis, aliisque festis celebrarent: duo qui in Scholis profiterentur: & duo qui essent Syndici Capituli.

Et hanc ordinationem reprehendunt Aduersarij, scribentes eam non modo foundationi Metropolitanæ Collegij, & antiquæ consuetudini, verumetiam sacris canonibus contrauenire. Verum id non probant. Præterea scribunt. Quod si omninò necessarium videatur, vt prædicationis officium ab Episcopo ad Presbyteros Canonicos transferatur, magis conueniet, vt singuli Canonici hebdomadatim suo quisque